# HYMENÆUS

Viri

*Reverendi & Excellentißimi*

# DN. CHRISTOPHORI SCHULTETI, SS. TH. DOCTORIS, ECCLESIÆQVE

ad D. Jacobi apud Sedinenses Pastoris primarii, dignissimi,

SPONSI,

Cum

*Lectißimâ, Pudicißimâq́; Virgine*

# ELISABETHA,

*Viri Reverendi & Clarißimi*

Dn. M. PAULI SCHERTZII,

sui jam ἐν ἁγίοις Antecessoris fidelissimi relictâ Filiâ,

SPONSA,

*Sedini celebratus,*

*Jenæ condecoratus*

à

Fautoribus & Amicis.

*JENÆ*

*Typis Tobiæ Steinmanni*

ANNO 1625.

THEIOLOGÆ SCHULTETE decus palmare cathedræ
Ingenii mirâ dexteritate potens.
Quàm tibi (sic merito) præsens est fertilis annus,
Qui tibi (sic merito) munera trina (parit.
Doctoris confert titulum rubramq; tiaram,
Mox addit spartam nobilis officii.
Insuper & confert pulcramque piamque puellam,
Cum qua conjugii fœdera sacra colas.
Summa TRIAS faxit, sint prospera munera trina,
Tuque DEO placeas, ELISABETHA tibi.

*Amoris & gratulationis ergò deproperabat*

*Joh. Gerhard D.*

---

*CUI nuper meritò concredita jura sacrati*
*Nempe Ministerii: sed grave honoris onus;*
*Huic venit in thalamos pudibunda puella jugales,*
*Scilicet ut discat jura sacrata Tori.*
*Quid verò? quid agis? Tibi quæ fiducia suadet*
*Festivos thalami nunc agitare dies?*
*Cernis ut indomitus Martis furor omnia turbet?*
*Miles ut illicitas, quærat iniquus opes?*
*Ast aliud visum JOVAEQVE virisq; probatis,*
*Arbitrio quorum stat Tibi cuncta salus.*

*Gratulor; & vestras ut amabilis unio mentes*
*Vinciat opto: nihil praeterea, hoc satis est.*

Honoris & amoris ergò f.

Joh. Himmelius D.

---

SChultetus thalamos init Elisabethaque sacros:
Adspiret cœptis Flaminis aura sacri.
*Vita, salus, soboles, Pax, Gratia, Gloria, Gaza,*
Amborum firment *corpora, corda, domum.*
Hoc animo voveo. Foveat vos Jova benignè:
Istis & faveat. Sic voveo. Anne sat est?

*Animo gratulabundo meo adposui*
*D. Schulteto*

*M. Hieronymus Prætorius Hamb.*
*Facult. Philos. in Salana Adjunctus.*

---

*SEMINA sancta chori torus exhibet inclytus orbi,*
*Hinc, SCHULTETE, chorum tu capis atq; torum.*
*Si tantâ virtute toro præsederis ergò,*
*Quantâ laude soles irradiare chorum,*
*Prosper erit torus atq; chorus prosperrimus olim,*
*Eq; tori aurorâ lux oritura choro est.*

Fecit memoris fidei & gratulat. debit. E.

M. Johan. Georgius Dorscheus
Argentorat.

---

I.

CUm sibi Schertziadam, sociali jungere nexu
Vellet Schultetus, risit Apollo jocans.

Quid

Quid rides? ait æqua Venus. Quid? nonne Sacerdos
SCHERTZIADÆ poterit se sociare piæ?
Non hoc, Phœbus ait, specto, sed rideo, cum non
hos deceant thalamos, conveniantque joci.
Convenient faxo. Venus inquit; nam quoque Pastor
seria scit lætis condere rite jocis.
Publica nam privis miscentur, tristia lætis,
unas nec poscit discolor ordo vices.

II.

EN SCHULTETE: TIBI quot dotibus aucta puella
nominibusque suis condecorata, venit.
ELISABETA, Dei requies, tua Sponsa vocatur,
Ejus in amplexu grata futura quies.
SCHERTZIA Sponsa tua est, post curas læta parabit,
Et lusura suum lætificabit herum,
SAL & ELISA THORI, salibus te condiet uxor,
In cruce gratisonos promet ELISA sales.
Addet opes, læto venient examine nati:
Sic voveo. Thalami promovet ausa DEUS.

*Benevolæ congratul. ergò sic lud.*

*M. Caspar. Sagittarius Osterburg. March.*

---

*QUAM tibi Jena sacrā dederat, SCHULTETE, tiaram,*
*Et plausu dederat concomitante suo,*
*Huic nunc imponit sertum Sponsale Sedinum*
*Et plausu imponit concomitante suo,*
*Junctior ergò suo jam fiet Jena Sedino,*
*A quo fulta fuit sacra tiara toro.*

Debitæ gratulat. erg.

M. Joachimus Hertzberg Wismariens. Magapolit.

EST *jocus* [redacted], *medium*, est quoque *finis Amoris*,
Imò est ipse *jocus* connubialis *Amor*.
Fallor? Non fallis, nec falleris ipse, verende
*Sponse*; tua en merus est *Sponsa* venusta *jocus!*
Sic certè [redacted] *jocus*, ut quæ *verba jocosa*
*Ore* dedit, *labris oscla jocosa* tulit,
*Arrisitq́; genis*, *oculis* immisit amoris
*Igniculos*, *lusit*, basia dando, *manu*.
Nunc *medium jocus* est, *dextram* cum jungit amanti,
Atque maritalem spondet amore *fidem*.
Nec satis est; *pedibus thalamum* conscendere gestit,
Amplexus *ulnis* excipiendo suis.
*Finis* eritque *jocus*, *risusq́; jocosq́;* parenti
Cum dabit, & matri *Schertzula*, *Schultetulus*.
En te felicem *Sponsum*, clarissime *Doctor*,
Cui datur uxor amans *Sponsa jocosus amor!*
Ergò nil aliud voveo: Tua *Sponsa* venusta
Sit tibi in *officio*, *connubioq́; jocus*.
Tute es *Christophorus*, cui *Christus* tanta *ferenda*
Imposuit divi pondera Evangelii:
Hîc sit *Sponsa iocus*, qui tanta gravamina *mentis*
Sublevet, & suavi temperet alloquio.
Sic quoque nonnunquam *nebulis* obducitur almus
*Connubii* thalamus, flante Aquilone *crucis*:
Hîc sit *Sponsa jocus*, qui pellat acerba, serenet
*Frontem*; sit *requies Elisabetha tori*.

Singularis observantiæ, honoris & amoris ergò
sic jocari, sic alludere & applaudere voluit

*M. Daniel Cramerus Pomeran.*

---

CUM paradisiacum *nemus emetirer & herbas*
*Haud pridem, en! oculos hæc subière meos.*
*Nescio quo fato!* Turtur, Capra, *moxq́;* Sciurus,
*Mox* Amiam *præceps flumine* Sala *tulit*.
*Primitùs hæc oculos subiêrunt, postea mentem*
*Acrius exercent, ecce repente sonat* Nun-

*Nuncius ante aures faustus de Conjuge sacro*
*SCHULTETO, ô fausto sidere oborta dies!*
*Omina gratantur felicia: dic, age,* Turtur,
*Quid fers?* sinceri *grator* amoris opes!
*Quæ,* Capra *dumivagum pecus, adjicis omina læta?*
Copulæ ἀπίβδηλον *gratulor ipsa* fidem!
*Adde,* Sciure, *tuum, frondesq́; apicesq́; revisens?*
*En* frugalis *ego,* copulæ imago bonæ!
*Nunc* Amia *apponas, quæ* non una *omina præbes?*
*Omina* concordis *nuncio* conjugii!
Aëris, *hæc,* telluris, aquæque, *animalcula produnt*
*Omina* Conjugio, cujus amore calent.
*Quem non gratantes moveant tot, quin sua quisq;*
*Protinus adjiciat vota secunda dicans.*
*Ecce,* tuum, *SCHULTETE,* meum *persolvere votum*
*Dignetur* Salomon *hæc* tria *verba loquens:*
Dextera vestra dies annorum computet, usque
In læva exuberent gloria, divitiæ.

*Omine fausto* Νεογάμῳ *Amico ac Fautori veteri & candido applaud. Jenæ*

M. Johannes Lehmus Rotenburgô-Francus.

DUXERAT uxorem Cephalus juveniliter, astris
Invitis. Procrin perdidit inde suam.
Hinc facis egregiè, qui jam Vir Clare Jehovæ
Protinus auxilium Consiliumque petis.
Nectare conjugium sic exornare paratus
Ipse tuum Christus, Sponse, vocatus adest.
Dotibus augebit thalamum cœlestibus atque
Pandoram dabit, est non (mihi crede) mala.
Non est quod metuas igitur, tibi Christus adhæret,
Ille tibi Nympham duxerit inde domum,
Crescat vestra domus famâ munita celebri,
Augeat & concors hanc utriusque fides.
Sit novus iste torus fœcundus, & annua semper
Pignora, proventu fertiliore ferat?

Ut

Ut sic paulatim canos veniatis ad annos,
Et videant neptes lumina vestra diu.

*Honoris ergò favitori suo colendo F.*

Paulus Harßdörffer Norimberg.

---

*POSTQVAM divinis complexibus hactenus ardens*
*Implêsti templum cognitione DEI,*
*Jamq; tuas nova Sponsa manus, SCHULTETE, prehendit,*
*Et tacitos oculis injicit igniculos;*
*Divinum quantùm monitum vereare, probasti,*
*Quod summam sanctæ traditionis habet,*
Quærite cumprimis regnum cœleste *fideles,*
Et reliquæ vobis adjicientur opes.

*Amoris ergò scribebam.*

Michael Hagemeister Gustrov. Magapol.

---

ET tu, SPONSE, novos modò pectore concipis ignes,
Ignes quos castus nutrit & auget amor.
Quid sit Hymen, quid amor, quid casti fœdera lecti,
Curas: Nec cœlebs vita probata tibi.
Vita probata tibi, pariter quâ fœmina virque
Legitimi observant fœdera casta tori:
Vita probata DEO hæc, primus DEUS illius autor,
Qui primus sanxit jura sacrata tori.
Nempe pios & castos casti pectoris ignes
Indidit humanis cordibus ipse DEUS.
Ille tuo castas in casto pectore flammas
Suscitat: hasque suo, SPONSE, favore fovet.
Sit felix tibi, sitque reciprocus ignis amoris,
Fœcundusque ferat pignora grata tori:
Sit tibi perpetuus, sit candidus ignis amoris,
Tempora sic vitæ candida semper erunt.

*Honoris ac faustæ gratulationis ergò appos.*

Balthasar Köller Stet. Pom. SS. Th. Stud.

FINIS.

